



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Landsberg, Johannes Justus

Coloniae Agrippinae, 1630

Voluntatis diuinæ cognitio quam sit cunctis necessaria virginibus. Can. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

corde (vti supra quoque monui te) ad me summum ac vnicum bonum, amantissimum, pulcherrimum, dulcissimumq; sponsum tuum conuertaris, simulq; illum immensum meditando amorem, quo ab aeterno te amauerim, & à peccatorum multiplicium nexibus eruerim, ex ipsisq; inimici faucibus toties te eriperim, præterea vti tuam in me naturam assumpserim, preciosissimumq; sanguinem, vt te mihi in sponsam eligerem, effuderim. Et quia ego Dominus ac sponus tuus tanta pro te passus sum, vt te mihi perpetuo desponsarem, hinc colligere haud immeritò poteris, quid pro mei sanctissimi nominis honore simul ac amore tollerare debeas. Et sicut ego ex ardentissima charitate patri meo cœlesti memetipsum pro te, ac pro totius mundi peccatis in ara crucis obtuli, ita quotidie temetipsum mihi offerre, per propriæ voluntatis abnegationem, pro quibuscunq; ego desidero causis ac mundi necessitatibus debes. Nam hoc mihi sacrificium quàm gratissimum ac acceptissimum est.

Esa 55.
Ephes. 5.
Heb 9.
Sacrificium
quodnam
Deo gratif-
simum offe-
ramus.

*Voluntatis diuinæ cognitio quam sit cunctis necessaria
virginibus.*

CANON IX.

Secundo, cum intelligas tanto me erga te amore feruere, omne studium tuum serit, vt discas perfectè meam voluntatem agnoscere, eamq; pro virili adimplere. Nam seruus qui cognoscit voluntatem Domini sui: & eam non facit, plagis vapulabit multis. Præterea sedulo obseruabis non solum mandata mea, sed etiam consilia, sed & sanctæ Ecclesiæ constitutiones, nec non & interna monita & inspirationes meas, quibus soleo plerumque meos admonere charissimos, ne otio vacent, ne corpori aut somnolentiæ tempore diuinorum locum dent, ne tempus negligenter & inutiliter expendant, ne nimis corpori indulgeant, ne se alicui præferant, ne tandem inaniter se extollant, cæteraq; huiusmodi per quæ eos ad redamandum me prouoco. Nihil nanque magis horreo, & detestor, quàm teporem amicorum meorum, qui meritò diu noctuq; summa reuerentia, maximaq; animi alacritate coram me assistere deberent, ac mundo corde, puraq; conscientia suas preces pro se, pro populi peccatis, proq; totius Ecclesiæ salute ac reformatione in diuinæ maiestatis meæ conspectu fundere.

Teporem
amicorum
suorum
quantum
Deus odiat.

*Mens virginis à quibusnam mundanda sit, quibusque
rebus studendum*

CANON X.

Tertio, præcipio tibi, vt cor tuum mundes ab omnibus vitiorum sordibus per veram eorundem vitiorum mortificationem, & iugem meæ amarissimæ passionis memoriam: alioquin & si corpore incorrupta sis, tamen cor tuum spurcitiæ fœdatam inhabitare non possum: quando ego summè omnem cordis detestor immunditiam, nec illi queam diuitias diuinorum meorum chrismatum communicare. Propterea per Prophetam meum testatus sum: *Lauamini, mundes-
sote, & auferete malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Malæ siquidem cogitationes à diabolo proueniunt, & corda hominum facillè nimis inquinant, à quibus ò virgo sponsa mea tibi caue, alias certo certius te derelinquere cogar. Tu nanque scis, sæpius tibi testatus sum quàm mihi sit grata amabilisq; virginitas & pudicitia virtus, si aliarum sceditate culparum non inquinetur.

Esaie. 2.
Cogitatio-
nibus qua-
tenus absti-
nendum.